

negandum non videtur. Potest enim utique Satanas in ipso corpore humano sanguinem & spiritus animales, qui specierum sensibus receptarum ad phantasiā vehicula sunt, movere, iisque mediante motu translatis, varias caulari imaginationes, quibus intellectus, a liquidiore obiectorum alias contemplandorum cognitione abstractus aut impeditus, ita implicetur atque occupetur, ut quo magis fixæ sunt cogitationes, quibus obiectum triste exhibetur, hoc facilius sequatur ex parte facultatis appetentis, similis actus aut motus; &, quo magis in appetitu sensitivo excitatur & durat motus aliquis v. g. timoris, aut tristitiæ; eo facilius etiam intellectus recipiat species similes ac receptas fortius retineat. Sed de his nunc non licet agere prolixius.

§. XXXIX. Magis operæ pretium est spectare, quasnam in hoc negotio partes *Deus O. M.* sibi vendicet. Certum est, non esse eum spectatorem otiosum, sed pro diversitate actuum, qui in prægustu damnationis involvuntur, alios quidem *efficere*, alios *permittere* & ad bonum finem *dirigere*.

§. XL. Diximus, Legem Dei, divina virtute sibi conjuncta aut insita, conterere corda peccatorum, ut dolores angoresque vel gravissimi inde oriantur. Hactenus itaque, quando actus illi non involvunt *ἀνομίαν* quandam, Deus per verbum suum ipse in animo hominis dolores istos excitare & efficaciter operari, recte dicitur. Et huc accommodari solet illud Hannæ *1. Sam. 11, 6. Jobova demittit in infernum.*

§. XLI. Quando autem ex parte hominum, damnationem infernalem prægustantium, occurrunt actus peccaminosi, similes actibus damnatorum, qui ad malum determinati erunt; v. g. Odium Dei, Blasphemia adversus Deum, Desperatio &c. sane nefas fuerit, eos, tanquam opera divina, Deo adscribere, aut statuere, Deum suo influxu positivo ac speciali determinare hominem ad actus illos, qui potius vel homini ipsi, vel Satanæ auctori tribuendi erunt.

§. XLII. Interim neque hoc negandum est, quod, cum Deus *gratiam* suam homini *subtrahit*, quæ actus istos excluderet, & vitæ æternæ prægustum largiretur; cumque Satanæ *fræna laxat*, ut hominem, eo quo dictum est modo, affligere aut

M

tor-